# EUTYCHII BENIAMIN TRANSALBINI

# DISSERTATIO PHILOLOGICA

## DE VOCIBUS HHARTYMMIM ET BELAHATEHEM

Exod. VII. 11.



- - ut monitus caueas, ne forte negotî
Incutiat tibi quid Sanctarum inscitia legum.

Q. Horat. Sermm. Lib. II.

MDCCLXVII.

אל תדין את חברך עד שתגיע למקומו:

Ne iudices *) ſocium tuum, donec in eius locum peruenias.

In Pirke Abhoth Cap. II. §. 4.

---

*) *Appendendo eum* in ſtatera - - - - - - Opuſculi inſcripti: Gedanken über die Werke des Liebhabers der Wahrheit von der Hexerey. §. 6.

  





# DISSERTATIO.



Ea ſemper modeſtia de vocibus חרטמים Hhartymmim, & בלהטיהם Belahetehem egerunt temperatiores Critici & eruditiores Philologi; ut, ſiue obſcuram illius ſignificationem; ſiue dubiam iſtius originem ueriſimili coniectura panderent: magnam nihilominus apud literatos gratiam ſperare ultro iuberent eum, qui meliora & certiora inueniret, atque cum illis communicaret. Porro, quid ab hac Virorum Ἑβραϊκωτάτων moderatione magis abſonum? quam palam heic damnare aliquid, quod non intelligas, aut neſcias; & animo ante aliquid ſtatuere damnandum, quam tibi liqueat, an falſum ſit? calumniis item, non rationibus pugnare? (*)

 Plane

(*) Confer. Clariſſimi Muratorii ſub nomine Lamindi Pritanii de ingeniorum moderatione. Lib. II. Cap. III.

  

Plane accidit, Vir literatissime! ut nuper tuam opellam subcisiua hora legendo, uoces laudatas, illotis pedibus, ut aiunt, a te expositas deprehenderem. Primo quidem fastidium excitabat stylus agrestis magis, quam aculeatus; tum, admirationem risu temperabam ad illas nimium confidentis animi, & falli proni, cum audaces dictaturas; tum lapsus, nec in triuio absque indignatione corrigendos. Porro, qui hoc ausus est, num aliud quid auderet, ultro lectione discere properabam: atque ita contigit, ut erroribus calumnias & obtrectationes iunctas; complurium in uno famam, abs te, more a Christiano homine, nedum masculo & docto scriptore prorsus alieno, lacessitam, uehementer dolerem. Rectius equidem ad mali compendium, modum furori tuo silentio meo ponere opinabar; sed suasit nihilominus data occasio nonnulla de uocibus laudatis, alias sparsim (a) & in uastioribus uoluminibus ab eruditis Viris philologice expensa, in unam Dissertationem cogere, atque tuam auda-

(a) Libet heic adnotare, ad nostri seculi genium, inscriptiones illorum operum, quibus de Literatorum propensissima, alias etiam in me beneuolentia, usus sum:

סֵפֶר הַדִּקְדּוּק וְחֵבֶל הַתֵּיבוֹת שֶׁנִּמְצְאוּ בִלְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ

Ioannis Reuchlini Phorcensis primi Graecae & Sacrae Hebraicae linguae adeoque meliorum literarum omnium in Germania autoris, in Galliis uero & Italia uindicis Lexicon Hebraicum, & in Hebraeorum Grammaticen commentarii &c. Sebastiani Munsteri opera & non leuibus uigiliis absolutae sunt. Basileae per Henricum Petrum, Mense Martio, Anno M. D. XXXVII. in f.

Eduardi Leigh, Equitis, L. A. M. & Aulae Magdalenae Oxoni Praepositi, Critica Sacra, id est, Obseruationes Philologico-Theologicae, in omnes radices & uoces Hebraeas V. T. Editio Latina Quinta. Gothae sumptibus Jacobi Meuii A. DCCVI. in forma, ut uocant, quarta.

An-

audaciam ita coercere, ut imposterum uerearis eousque grassari & furere. Nec acerbe feras, quum te illotis pedibus rem pertractasse, uel in limine asseuero: nunquam enim ulli, cui sanum est synciput, persuaseris, te ex duorum linguae Hebraicae gnarorum sententia, illa adduxisse, quae ex talibus petere, oportebat. Hoc, ut opinor, tua simulatione uolebas, ut tibi aliorum uitio erranti, illud Horatii dici queat:

*Prudens emisti uitiosum —*

Memineris autem, me duntaxat §. 6. tuae opellae heic expensurum, ne pretiosi temporis iacturam patiar. Stylum uero latinum ea ratione elegi, quia non tuae linguae hominibus ad exinaniendos calices conuenientibus; sed ad humanitatem comparatis scribo. Rem itaque per otium iam expendamus.

Primum quidem, ut Hebraei dicere solent de sacro Codice, *securi grassaris in sacrae Scaipturae hortum, & succidis plantas eius selectas*, substituens formationes Chaldaicas pro Hebraicis; & statum, ut aiunt, absolutum pro constructo.

 Ne-

---

Andreae Riueti Pictaui, Doct. & Professoris Theologi Commentarii, in Librum secundum Mosis, qui Exodus apud Graecos inscribitur. Lugduni Batauorum apud Franciscum Heyerum A. CIↃ IↃ CXXXIV.

Criticorum Sacrorum Tomus VII.

Commentarior. Cl. Calmeti Tomi I. Pars I.

Selecta monumenta eruditae antiquitatis Dissertationibus VIIII. Ioannis Bapt. Passerii I. G. Uicarii Pisauriensis expensa & illustrata curante Antonio Francisco Gorio. Florentiae MDCCL. e typographio imperiali. in f. 8ua. mai. Harum III. & IV. usus sum.

Neque dixeris, me fumos uendere: en textus Hebraicae Veritatis, (b) abs te ad uindicandum R. P. D. Sterzingerum indicatos! (c) uiden an tuum Hartumin, ea fide, qua tu legis, heic reperire sit.

Genesis XL. 8.

ויקרא את כל חרטמי מצרים
mitzraim. hhartymme col eth Vaiikra

Danielis I. 20.

אל כל החרטמים
hahhartymmim. col Al

——— II. 2.

לקרא להרטמים
lahhartymmim. Likro

Errasti Amice! atque ad eumdem lapidem non bis, ut aiunt, uerum ter offendisti: Danielis Cap. II. 27. & v. 11. duntaxat חרטמין Hhartymmin hac formatione legere est; ergo alterutrum locum indicare, necesse fuit. Vel heic iam apparet, opellam tuam talem esse, quam nec labor excuderit, nec cura limauerit: solius furoris negotium, imaptiens laborum gradus fieri. Nolim ego erroris tui fontem, ex Buxtorfii exemplis, non

(b) Ita passim S. Hieronymus Sacra V. T. uolumina appellat. Confer. Prolegomena in Diuinam S. Hieronymi Bicliothecam nouae edit.

(c) Warum aber Herr P. Sterzinger vielmehr das Wort Hartumin hat brauchen wollen, mag wohl die Ursache seyn, weil er das Wort Hartumin öfters in dergleichen Umständen in der Schrifte gefunden: als Gen. 41. 6. 8. Dan. 1. v. 20. & 2. v. 2.

non apposite intellectis, multa uerborum serie heic ostendere: uelim autem ad meliora studia exciteris isto Ciceronis incitamento II. de Orat. *Tardi ingenii est riuulos consectari, fontes rerum non uidere; aetatis est usus que nostri a capite quod uelimus arcessere, & unde omnia manant uidere.*

De *origine*, *formatione*, atque *significatu* nostrae *uocis*, num siue ratione ductus, siue experimento edoctus scripseris, rectius me acturum puto, si adductis Virorum Ἑβραϊκωτάτων auctoritatibus & rationibus, tuam demum audacem dicturam, tuasque putidas opiniones, indicauero.

Atque ut ab origine rem inchoemus: Fuerunt quidam qui peregrinam uocem esse dicerent, & *radicis* omnino (d) incertae; alii (e) compositam, alii uel Chaldaicam (f) uel Aegyptiacam esse memoriae prodiderunt. Qui rem propius attigisse mihi uidentur, sunt Cl. Cl. Io. Baptista Passerius, & Nicolaus Fullerus, quorum ille, postquam de Hebraismo Aegy-ptio-

---

(d) *Radix est incerta, quia, ut notat Mercerus, uox est peregrina, quales multae in linguam Ebraeam sunt ascitae.* Ita Rivetus pag. 137.

(e) *Rabbi* Saadias *uocem compositam censet, atque a* חור & אטום *etymon repetit, eosque* חרטומים *interpretatur* qui ex arboris foramine obturato *siue* obstructo (*namque id ualet* חור אטום) praestigiis *seu* ueneficiis nescio quibus diuinationes eliciunt. *Cuiusmodi diuinandi genus (nisi forte quis fatidicam Dodonae Quercum, quam tamen ut aperte fabulosam Strabo reiicit, huc attinere autumauerit) quia nusquam gentium reperio, prudens omitto ac negligo.* N. Fullerus Tom. VII. Critic. Sacr. pag. 266.

(f) Rabbi Aben Ezra ita suspicatur: quoniam in Scripturis S. non alibi legitur, quam ubi de rebus utriusque illius gentis agitur. Vide Fuller. loc. cit.

ptiorum *ad Religioſiſſimum doctiſſimumque* Virum Paulum M. Placiaudium Cler. Regularem Theatinum diſſeruiſſet, tandem in Lexico *Aegyptio - Hebraico* ita ad noſtrum inſtitutum pagina 136 - 138. loquitur: „ CHARTVM. Conueniunt Ex-
“ poſitores uocem hanc, quae plurali numero eſt חרטומים
“ *Chartumim*, vulgoque interpretatur *Coniectores*, *Augures*,
“ *Magos*, ut Geneſ. 41. 8. & Dan. 1. 20. eſſe Aegyptiacam,
“ apud quos cum haec ſcientiae monſtra maxime obtinerent,
“ facile introductum eſt, ut ab illis ad ceteras Nationes nomen
“ deriuatum ſit. Iuuat in hanc rem ſententiam Doctiſſimi Cal-
“ metis in medium adferre “ (g): *Nomen* חרטומים Chartumim, *quod hic habetur in exemplari*, *Aegyptiacum eſſe*, *cuius germana ſignificatio ſit ignota*, *paſſim perſuaſum eſt. Septuaginta uertunt* Ἐξηγήτας interpretes. *Aquila* Κρυφίαςας occulta pandentes. *Symmachus*, *cui recentiores nonnulli accedunt*, Μάγους Magos; *alius* Σοφοὺς Sapientes. *Alii interpretantur Prophetas*, *Divinos*, *Genethliacos*, *quæ omnes interpretationes id genus hominibus recte poſſunt accommodari. Magi erant*, *quia uirgas ſuas in ſerpentes commutarunt coram Moyſe*, *ut legitur* Exodi VII. 11. *Diuinandi munus etiam ſibi arrogabant,quia ad interpretanda Regis ſomnia aduocantur. Si ex He-*

(g) Iſtam Cl. Calmetis ſententiam ex ipſo Commentarii loco in Geneſ. XL. 8. deſcribere malui, quam laudati Lexici exemplum adducere typothetarum incuria non nihil corruptum in graecis ubique; in latino ob ſubſtitutam uocem Aegyptiorum pro Aegyptiacum, & poſitum *comma* ante illa *in exemplari Aegyptiorum eſſe;* quod prorſus diuerſum parit ſenſum.

*Hebraica radice* חרט Caelare (h) טמה claudere *nomen* Chartumim deducatur, possemus illud interpretari de iis *Sacerdotibus Aegyptiis, quorum erat libros sacros, & notas hieroglyphicas explicare. Diuus Clemens Alexandrinus lib.* 5. *Stromat. narrat, libros omnes Theologicos apud Aegyptios hoc modo fuisse conscriptos; additque Diodorus* lib. 3. *a nemine potuisse illos praeterquam a Sacerdotibus explicari. Vocabulum* Hierogrammateis, *quo utitur Porphyrius* lib. 4. 8. *de Abstin. ad denotandum genus quoddam Sacerdotum Aegyptiorum, maxime accedit ad Hebraeum Chartumim.* " Huc usque eximius Do-" ctor. Video tamen priorem eius sententiam, qua uox ista de-" ducitur a radice חרט * *caelare Scalpere, stylo scribere,* pas-" sim a Grammaticis exceptam esse; nam communiter sub ea-" dem radice ponitur. " Itaque Cl. Passerii iudicio Chartumim [*Hhartymmim*] non Chaldaica sed Aegyptio - Hebraica uox est; siue, ut clarius dicam, est uox Aegyptia, ex Hebraeorum lingua deriuata.

In eandem fere sententiam it alter a Cl. Passerio Nicolaus Fullerus Miscell. Sacror. lib. V. cap. XI. immo ad linguae sanctae *proprietatem* magis accessisse mihi uidetur. Iuuerit illius quoque iudicium heic adducere: " Mihi certe a חרט promptis-" simus & rationi quam congruentissimus placet deducendi mo-" dus, ut ם sit *heemanticum*, & חרטם a חרט formetur ad " instar שלשם a שלש. Porro חרט a Graecis redditur γραφίς " id autem denotat & instrumentum artificis nempe *stylum*, aut

b " etiam

(h) חרט secundum tempora & personas flecti, in Scriptura S. nusquam reperio; nec illa significatio, uel alia similis (*sculpere insculpere, exarare*) ei unquam conuenit: bene uero *radici* חרת quae semel duntaxat in Scriptura Exodi XXXII. 16. extat: חרות על הלחת *Hharuth al hallyhhoth; Sculpta in tabulis.* Idem * obseruandum.

" etiam caelum, (quemadmodum uocabulum Hebraicum a no-
" uiſſimis Interpretibus uertitur) & artem ipſam, v. g. *pictu-*
" *ram*, *caelaturam*, uel *ſculpturam*, quae ſtylo caeloue exer-
" cetur. Quare חרטם is proprie cenſeatur eſſe, qui ſuperſti-
" tioſos quosdam characteres, picturas, imagines, figuras, alia-
" que eiusmodi notiſſima Magices ſubſidia adhibebat in nefariae
" diuinationis ſuae operibus exſequendis. Itaque neutra Grae-
" corum uerſio ſatis conuenire uidetur. Nam ἐξηγητὴς Gen.
" XL. 8. uti ſcribit Heſychius, eſt ὁ πενὶ ἱερειων καὶ διοσημείων ἐξη-
" γούμενος, i. e. *uictimarum* uel *exſtorum atque oſtentorum in-*
" *terpres*. Ἐπαοιδὸς autem Exod. VII. 11. eſt *incantator*. Uter-
" que *uerbis rem peragit*, ſicut ait Hieronymus, nec quicquam
" illis cum ſtylo caeloque negotii eſt. Onkelus Paraphraſtes
" חרטם reddit חרשא, qualiter etiam Syriace *Magus* uulgo uo-
" citatur Act. XIII. 6. &c.

Licet omnino nihil detractum uelim famae ac eruditioni Virorum alioquin clariſſimorum, qui nudam aſſertionem de origine uocis noſtrae attulerunt; tamen longe potior mihi eſt Paſſerii & Fulleri auctoritas rationibus ſuffulta: atque iſtius eo rectius, quo magis ad linguae Hebraicae praeceptiones, rem ab illo expenſam fuiſſe uideo. Ad haec, obſeruauit Vir eruditus, *radicem* חרט *a* חרת, *quae ſculpere, inſculpere, exarare ſonat, pullulaſſe, aſpirata tantummodo in tenuem mutata. Itaque* (concludit) *primaria thematis ſingnificatio iure ſtatuitur* caelum ſtylusque (i) ſcriptorius.

Si Viri non illiberaliter iſto inueſtigationis genere occupati, ita modeſte ſua nobis tradiderunt, ut meliora ac certiora in-

(i) Styli ueteris formam altera parte retuſam & planam dedit Cl. Montfauconius Palaeographiae Graece lib. I. cap. III. pag. 21.

inuenientibus non inuiderent: quid de tua Magister! audaci omnino dictatura sentiendum? Ceterum, (k) inquis, Hartumin (l) est uox Chaldaica, & quidem dualis numeri; ut hoc interim tibi largiar, quod aliorum nuda adsertione inductus, Hhartymmin uocem origine Chaldaicam esse, (alioqui de formatione nemo dubitat) nude pronunciaueris: in illo tamen, quod de duali numero addidisti, non possum non asseuerare, te toto coelo aberrasse. Pace tua, Vir litteratissime! uerbis Cl. Baconi de Verulamio heic utar: (m) " Hominibus profecto, " inquit ille, magno iudicio praeditis, ludibrio sunt *Audaces*;

 " imo

(k) Weiters ist Hartumin ein chaldäisches Wort und zwar von der zweyfachen Zahl. pag. 16.

(l) Quaeso a te! ne mihi quandam temeritatis notam imponas, dum חרטמין atque חרטמים literis latinis, aliter actu perscribo: Hhartymmin scilicet & Hhartymmim: sequor enim Cl. Mathiae Wasmuthi *Hebraismum facilitati & integritati suae restitutum* (Lipsiae & Francofurti An. 1714. in forma quarta) & alios, qui adcuratius rem obseruarunt; prout etiam passim Cl. Cl. Johannes Martinay & Anton Pouget in adnotationibus ad Diuinam Sti. Hieronymi Bibliothecam ח per hh indicarunt. Septuaginta quidem, teste Cl. Bern. Montfaucon in Dissert. *de ueteri Litterarum & Vocalium Hebr. pronunciatione* Tom. II. *Hexaplorum Originis* inserta, legebant per χ Chi, ut חם χὰμ Cham; quos e recentioribus Hillerus, Schudtius, aliique ita sequuntur, ut etiam improbent ח per hh expressionem. Ego ut uerum fatear, aspirationem illam, ubi sit, *magis possum intelligere, quam sonare*. Nemo itaque omnino improbauerit istam literae ח per hh designationem; ea praesertim de caussa, ut כ dum *haspirata* manet, atque ita per ch exprimitur, ab illa distingui possit. De *ualore* Kybbutz & Dagesch *fortis* satis exploratum est. Ad haec scito, tui gratia textum originarium literis latinis a me describi.

(m) Sermon. Fidel. XII. de Audacia. Edit. Londin. 1638. pag. 173.

" imo & apud ipſum Vulgus *Audacia* aliquid habet Ridiculi. " Nam ſi Riſûs obiectum ſit Abſurditas, ne dubites, quin magna Audacia ſemper ſecum habeat aliquid Ridiculi. "

Quis uero neget te omnino audacem fuiſſe? Nemo ſane, qui uel primis Chaldaicae linguae rudimentis imbutus, tuam, neſcio qua em analyſin legerit. Hartumin, inquis, eſt uox Chaldaica, & quidem DVALIS NVMERI. Abſit! *Dualis numerus fit in* ַיִן (n) ain) *ſed rarior eſt. In Daniele & Eſra aliqua occurrunt: ut* ידין *) IEDAIN. Dan. II. 34. &c. Sed neque illius uocis *formam* duali numero apud Chaldaeos uſu recepto, in ſcriptura expreſſam, uſquam, ni fallor, inuenio. En loca Scripturae, *quoties;* qua *forma;* quo *libro*, *capite*, & *uerſiculo* חרטם Hhartom inuenitur:

Dan. II. 10. חרטם Hhartom,

חרטמים Hhartymmim,

Gen. XLI. 24.
Exod. VIII. 3.
——— 14.
——— 15.
——— IX. 11. bis occurrit.
Daniel. I. 20.
——— II. 2.

} In Statu abſoluto Num. Plur. format. Hebr.

(n) Joh. Buxtorf Gram. Chald. & Syriac. pag. 26. & 33. Edit. Baſileenſ. 1685.

*) In textu eſt *praepoſitio* ב proin Scheua geminum contrahitur in Chirek longum.

חרטמי Hhartymme,

| | |
|---|---|
| Gen. XLI. 8. | In Statu conſtructo Num. |
| Exod. VII. 11. | Plur. form. Hebr. |
| ——— 22. | |

חרטמין Hhartymmin,

| | |
|---|---|
| Daniel. II. 27. | In Statu abſoluto Num. |
| ——— V. 11. | Plur. form. Chald. |

חרטמיא Hhartymmaiia,

| | |
|---|---|
| Daniel. IV. 4. | In forma emphatica |
| ——— 6. | Chald. Num. Plur. |

Porro, ſi more tuo ictus uibrare; aculeato iratoque ſtylo heic uti uellem, nonne potius cauſſa cauſſae, ut dicunt, reſponderet? Equidem hoc longe ſit a me: illud tamen, contracta licet in rugas fronte ſilentio feres? dum errores tuos manſuete quidem accuſo & prodo; ſed tamen accuſo. Habes, unde mihi perpetuo gratias agas, cum de hac modeſtia; tum de caritate, qua nomen tuum (quod quidem reuelare mihi in ſinu eſt) eatenus reticeo, ut etiam uehementer doleam, te unquam loquutum fuiſſe; quam ob rem ita uiſus ſis ut, ſi millies taceas te uideamus. Noſti enim ſocratem, qui non tam in uultu putabat uidere hominem, quam in uerbis.

   

Si adhucdum uita & communi Spiritu fruerentur Viri egregii, morum elegantia, & ingenio illuſtres Ioh. Reuchlinus, Nicolaus Appelles, Paulus Aemilius, (o) Petrus Caniſius & alii

---

(o) Erit, ſaltem profeſſione gratitudinis, heic excuſatus iſte meus conatus, quae memoriam uitae *Aemilii*, ſparſam & uagam, quantum quidem per otium licuit, collegi atque ſtabiliui.

P. Aemilius †. A. R. S. CIↃ IↃ LXXV.

Paulus Aemilius patria Romanus; inſitione Boius: ſpreta Iudaeorum Synagoga Chriſti ueſtem in Romana urbe ſuſcepit; ſingulari, ut ipſe fatetur, in Dedicatoria epiſt. Othonis titulo S. Balbinae Cardinalis, & Epiſcopi Auguſtani opera adiutus. Porro Cathedrae Petri inuiolata communione conſociatus, poſtquam urbes alias atque alias luſtrauiſſet, tandem Ingolſtadium, ciuitatem Academia celebrem, aduenit. Annum CIↃ IↃ XLVII. Cl. Rotmarus notauit, quo Aemilius in *Album* Vniuerſitatis inſcriptus eſt; unde aduentum eiusdem augurari licet. Demum, uolens Aemilius, iuxta ſententiam Saluatoris, *cibum operari qui non perit*, anno ſequente CIↃ IↃ XLVII, quo a Sereniſſimo Boiorum Duce Guilielmo *Calendis Iunii lectionum reformatio facta eſt, linguam Hebraeam,* ut Rotmarus tradit, *profitebatur:* quod ingenuae profeſſionis inſtitutum, annis ſeptem ſupra uiginti egregie ſuſtinuit. Facile inducar ad aſſerendum: Aemilium aliquando Monachii ſubſtitiſſe: enim uero, *Catalogum Codicum Hebraicorum*, cum Manuſcriptorum, tum Editorum, qui in inclyta Sereniſſimi utriusque Bauariae Ducis Bibliotheca aſſeruatur, abſens concinnare haud potuit: concinnauit autem magna ex parte, ut illa breui notatione, ſcripta in margine *Catalogi Statione* 4. N. 37. indicatur: *Paul. Aemil. hic finem fecit.* Zelum praeterea Religionis cum ingenuis artibus Aemelius coniunxit; ut haud obſcure indicat opuſculum eius aduerſus Iudaeorum perfidiam editum. *Vitus Iacobaeus Poeta Laureatus,* Auctor ſynchronus, atque *in eadem Academia Poetices Profeſſor* illum ſequente inſcriptione & carmine, quo reliqua eius uitae conditio deſcribitur, ita celebrauit:

" EGRE-

alii plures, olim in Bauaria linguae Hebraicae cultores & propagatores; atro carbone procul dubio notarent temeritatem tuam, qua non es ueritus, ignorantiae tuae, ſimulationem cum in-

---

" EGREGIO VIRO, D. PAVLO AEMILIO
Romano Medicinae Baccalaureo & hebraicae
linguae Profeſſori peritiſſimo.

" Debita quis ſacrae referat praeconia linguae,
" Qua ſator immenſi condidit orbis opus?
" Non ſi centena fari mihi uoce daretur,
" Exprimerem laudes lingua ſacrata tuas.
" Explicat iſtius praecepta, recondita ſenſu,
" Nomen ab Aemeliis cui graue Roma dedit.
" Is Iudaeorum Synagoga ſponte relicta,
" Conuerſus Pauli nomina Paulus habet.
" Is uarios hominum mores, luſtrauit & urbes,
" Hinc late terris, inde uagatus aquis.
" Iactitat is ſeſe numeroſa prole beatum,
" Quae mater longae poſteritatis erit.
" Omnia Iudaicae nouit myſteria gentis,
" Quique latent huius ſub pietate, doli.
" Ille caput medicas etiam per Apollinis artes
" Extulit, Hebraica magnus & arte potens.

Scriptorum ab Aemilo operum, ſequentia tantum inuenire ac uidere potui:

חמשה חומשי תורה עם חמש מגילות שיר השירים רות קוהלת איכה מגילות אסתר גם ההפתורות בלשון אשכנזי על ידי ר׳ פאויל אמילי פה אגושטא שנת ש״ד:

Quinque *quinarii Legis* (Pentateuchus) *cum quinque hiſtoriis, Canticis Canticorum, Ruth, Eccleſiaſte, Threnis Hieremiae, hiſtoria Eſter cum*

iniuria praetexere; qui tamen ſine ſocia & amica opera, ad fines, quos maxime ignoras, ſolus ambulaſti.

Quid

---

*cum lectionibus in lingua Germanica per manus R. Pauli Aemilii in Auguſta Anno* *) 304. in folio. Ita recenſetur in Catalogo ſupra citato Statione 3. N. 37.

Widerlegung, vnd Ablainung etlicher fürnemſter Articul, vnd Vrſachen, darumb die Iuden, iren vnd der gantzen welt rechten, warhaftigen Meſſiam Ieſum Chriſtum nit annemen. Durch Paulum Emilium Romanum, vor etlichen Iaren von den Hebreern zu den Chriſten bekoeret. *Ad finem opuſculi.* Getruckt zu Ingolſtat, durch Alexander Weiſſenhorn. M. D. XLVIII. *In forma, ut uocant, quarta. Conſtat Plagulis* 6 ¾ *praeter epiſtolam dedicatoriam ad Othonem C. & Epiſc. Auguſt. datum Ingolſtadii die Iouis ante (Dominicam nuncupatam) Inuocauit, anno editionis.*

Diem, menſem & locum, quibus de uita exit Aemilius, Cl. Rotmarus ad An. CIↃ IↃ LXXV. ita refert:

" Obiit 9. die Iunii in ipſa Octaua Corporis Chriſti, M. Paulus
" Aemilius, Hebraicae linguae Profeſſor, ſub ſtatione proceſſus cum
" Sacramento. ad ipſius aedes. Habet Epitaphium lapideum apud D.
" Mariam, cum figura Conuerſionis D. Pauli: de eo aliquando eius-
" modi luſi carmen, cum Ingolſtadianos deſcriberem Profeſſores:

*Rara fides conſtans eſt deſertoribus, omnis*
*Et nutat profugus: quantò tua gloria maior,*
*Quòd tot es antiquam Chriſti complexus in annos*
*Sincere ſub corde fidem? &c.*

*) A. Ae. C. 1544. Annus enim Iudaicus minoris ſupputationis, i. e. omiſſo breuitatis gratia millenario, fit An. Chr. per additionem 240. u. g. Annus praeſens „527. Iud.
240.
„767. Chr.

Quae de ſignificatu uocis *Hhartymmim* adduxiſti, non auſim penitus reiicere: illud uero neſcio qua ratione approbauerim, quod illam cum (p) Belahatehem confundas; enim quid de prioris ſignificatu aſſerendum ſit, ſatis, ut arbitror, ex uerbis Fulleri ſupra laudatis, coniicere potes: quid uero de expoſitione alterius uocis ſtatuendum ſit, uelim, porro audias.

" Quartum nomen, *inquit Riuetus*, (q) non tam eſt
" Magorum ipſorum, quam artis eorum, בלהטיהם Belahate-
" hem, incantationibus ſuis. Ergo להטים non ſunt incantatores
" ſed incantationes; nam ut recte notauit doctiſſimus Amama ב
" praefixum ſatis oſtendit hanc uocem adhiberi ad denotandum
" modum actionis. Cur autem ſic appellentur incantationes, ua-
" riant ſententiae, quia thema poteſt eſſe להט *lahat* cum ה uel
" לאט *laat* cum א. Si primum, deducetur a fulgore gladii,
" hoc enim ſignificat uox להט *lahat;* forte quia fulgore gladii
" fiebant incantationes. Si uero לאט *laat*, cum א ut poſitum
" ſit ה pro א, quod eo fit probabile, quia poſtea ſcribitur ſine
" ה, cum א ſub ל compenſante א. Erit ergo a uerbo quod oc-
" cultare ſignificat, euenire, tegere, ut ſit לאט *laat*, arcanum,
" abſconditum, quod incantatores tantum norunt; & pro eorum
" inſuſurrationibus ponitur; quia incantationes tacite fiunt. "

Reuchlinus eandem uocem (r) ita exponit: " להט Acies
" gladii, uel ſecundum Rabi Salomonem lamina ſcilicet polita &c.
" Significat etiam magica ueneficia quae fiunt per conſecrationem
" gladii, quae noſtra translatio nominat incantationes Aegy-
" ptiacas & arcana quaedam Exod. 7. & fecerunt etiam ipſi
" per incantationes Aegyptiacas & arcana quaedam. Onke-

 " lus

(p) Hartumin . . . heiſt öfters ſoviel als Belahatehem.

(q) pag. 173.

(r) pap. 127.

" lus chaldaice transtulit mussitationes, & dicit Rabi Salomon
" quod eius copia non habeatur alibi in biblia.

Cl. Leighius, qui ad opus suum concinnandum *optimos adhibuit Lexicographos & Commentatores*, (s) *quos modo potuit accipere & inuenire*, sequentem adducit (t) crisim ad *Nomen* להט . . . " Exodi 7. 11. & fecerunt etiam ipsi magi Ae-
" gypti בלהטיהם Belahatehem incantationibus suis similiter:
" quod tales incantationes fierent ferro, aut acie gladii: quasi sit
" quoddam incantationis seu praestigiarum opus, quod fit lamina
" gladii adhibita. Mercer. illorum incantationes sic appellantur,
" quia decipiunt homines nescientes quid cum illis fiat, & rem
" unam pro alia indicantes, quemadmodum & oculos facilime
" possumus obfuscare & decipere uibratione gladii fulgentis . . .
" *Lahatim* a *Lahat* uel quia flammae instar uelocissimo raptu &
" motu, se ex uno loco transferunt in alium, ut ex imo ac ad se
" trahant serpentes, ramos & similia, uel quia operationes suas
" peragunt auxilio daemonum, quorum nonnulli ex elemento ignis
" suam naturam habent." Ita Viri non minus literati, quam modesti.

Quam uero ob rem tu cum emphasi negas, (u) להטים, siue ut more tuo loquar, Belahatehem esse de radice להט? An non limato iudicio & urbanitate egerunt Viri laudati? Itane in du-

(s) Vide Praefat. primo loco positam.

(t) pag. 246.

(u) P. Agnell widerspricht und zwar mit seiner angebohrnen groben Art, (ita scribunt, qui Caricam musam coluut) und sagt, daß es Belahatehem heißen müsse, davon das Stammworte Labat ist. (Rem acu tetigisti: להט Lahat non לבט Labat P. Agnellus pag. 9. adnotauit.) Nein, nein mein Herr Liebhaber! nein, ich habe zwey dieser Sprache Kündige befraget, dann ich gestehe es aufrichtig, ich verstehe sie nicht, und sie gaben mir zur Antwort: daß keineswegs Labat das Stamm-wort

dubiis, & ubi ultra uerisimilia non attingitur, cum aduersariis agendum est, atque e plaustro, ut aiunt, loquendum? Sed tu Ioh. Buxtofium appellas, qui in lexico suo ostendat *Belahatehem* esse de radice Luth. (x) Ergo cum Buxtorfii authoritas tibi sit pro achilleo argumento, non pigebat, te audire Ioh. Buxtorfium filium istius, de usu Concordantiarum Bibl. Hebr. (y) differentem; atque porro certiora de origine nostrae uocis ex Patre percipere. " *Secundus usus est*, (inquit ille) quod continent Le-
" xici Hebraici formam absolutissimam: ita ut incertum sit, re-
" ctiusne Concordantiarum quam Lexici uocabulum illis accomo-
" dari possit. Continentur enim in eo non solum distincte omnes
" Radices cum suis deriuatis omnibus, sed & singularum uocum
" formae uniuersae, appositis statim singulorum uocabulorum lo-
" cis, in quibuscunque per uniuersam scripturam occurrunt. . .
" Deinde potest hinc Lexicorum imperfectio, sicubi deficiunt,
" perfici & compleri &c. " Porro uideamus sub qua Radice in Concordantiis positum sit uocabulum Belahatehem: " להט *signi-*
" *ficata eius* (uerba sunt Buxtorfii Patris) *duo sunt I. Ardere*,
" *Flam-*

wort von Belahatehem sey, sondern der berühmte Johann Buxtorf in seinem zu Basel im Jahre 1735. gedruckten hebräischen und caldäischen Wörterbuch wird dem Herrn Liebhaber zeigen, daß Luth das Stammwort von Belahatehem sey, denn Luth heißt verborgen: ist also die Ableitung des P. Agnells grundfalsch, und giebt dadurch seine Kenntniß dieser Sprache genug an den Tag.

(x) Lut לוט uolebas scribere: nam Luth לות Hebraei nesciunt.

(y) Basileae sumptibus & typis Ludouici König Anno 1632. in fol. mai. de huius operis utilitate, ut in Praefatione habetur, scribit pag. 64. de Interpret. script. *Ut autem de certitudine Lexicorum Hebraeorum magis reddaris securus, & sicubi Lexica imperfecta sunt ipsa, quod nemo negare potest, & experientia nimium conuincit, imperfectionem illam uidere, agnoscere & corrigere queas, duos tibi commendo libros, quorum utilitatem immensam satis laudare non possum, uidelicet Concordantias Hebraeas super Vetus Testamentum, & Concordantias Graecas super Nouum Testamentum,*

" *Flammare.* " Demum poſtquam exempla adduxiſſet, inquit: *II. Incantationes* בלהטיהם Belahatehem *Incantationibus ſuis* Exod. VII. 11. Quid igitur reliquum eſt, quam concludere, Buxtorfium non de *Lut* לוט; ſed de להט *Labat* noſtram uocem deriuatam oſtendiſſe. Ceterum *Lut*, non uero *Labat* talem habere ſignificationem, qualem tu adduxiſti, non inficior.

Haec ſunt, quae de uocibus *Hhartymmim* & *Belahatehem* per otium in unam diſſertationem cogere licuit: ſi animo ſtat, contra illam tuum ſtylum armare, atque erroribus errores addere, non impedio ſcribentem; ſed ut olim Chiorum Legatos, (docente Plutar. in Apoph. Lacon.) ipſas Ephororum Spartanorum ſedes uomitu implentes, haud aliter uindicandos duxere ſpartani, quam publicum edictum ſanciendo, *ſolis Chiis permiſſum eſſe turpiter agere:* ita meo quidem arbitratu, decernatur tibi priuilegium errandi. Cuticulam tuam incautus oſtendiſti, uelim itaque leoninam deponas. Verbis tuis deinceps facito ſtateram bonam; illa enim, in qua P. Agnellum appendiſti, atque cum eo alios plures, non eſt bona. Demum

Lenior & melior ſis accedente ſenecta. *

* Horatius lib. II. Epiſt. ad I. Flor.

---

## ADNOTATIO.

Dum haec Diſſertatio typis exprimeretur, opportune accidit, ut Vir quidam eruditus mecum beneuole communicaret Ienenſes eruditorum ephemerides; quarum XXXXII. Parte, pag. 346. ex quibusdam circumſtantiis, neſcio quibus, *Cl. Petrus Paulus Finauerus* iudicatur Auctor eſſe opellae inſcriptae: Gedanken über die Werke des Liebhabers der Wahrheit von der Hexerey. At, error eſt haud paruus, quem uelim emendet, quisquis ita coniecit. Aliam enim Cl. Finauerus ſtudiorum rationem colit: popularium ſuorum ab eruditione clarorum memoriam uindicando, atque ad decus & utilitatem ciuium, horas, data officio publico opera reliquas, ingenue conſecrando. Ad haec certiora adducerem, niſi modeſtia uetaret.